

Cum hic damnetur mortuus Dei Prophetæ, piorum omnium est suscipere eius defensionem. Quamquam Spiritus Dei, qui per os Ieremiæ loquutus semper vivit, ad se tuendum abunde sufficiet. Gloriantium esse negat Deus nisi in sui unius notitia. Nam sublatis alijs gloriandi modis, huc tantum facit residuum. Boni censes iure nos in Dei amore & in cruce Christi gloriari posse contendunt, quasi Dei amore & crux Christi à notitia illa separaretur, ac non potius ab ea maneret ac dependeat. Hinc colligere promptum est, quam futiliter absque sensu garriant. Quid enim est aliud crux Christi, quam eius misericordiae testimoniū, in cuius notitia gloriari nos Deus iubet? Non enim cognoscitur Deus ex duabus syllabis: sed vera fide, quæ nos in eius gloriā transformat. Ergo suas hereses hic crepando, satis ignorantiam & cecitatem suam produnt. Nam si vel minimam haberet lucis scintillam, non fugeret eos celebris Christi sententia, ubi pronuntiat hanc esse vitam eternam, nosse solum verum Deum, & quem misit Iesum Christum Io. 17. a. 3.

Matth. 10. a. 8.

Artic. 94.

Annotatio, Gratis omnia alijs communicanda sunt, sicut Deus gratis nobis communicavit.